Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

dicantes duodecim tribus israel. In decoll. Iohis baptiste
Memoria iusti. Require in nat. s. iohis bapt. Secundum Marcum
In illo t. Misit herodes ac tenuit iohem & uinxit eum
& posuit in carcerem propter herodiadem uxo rem fratris sui: quia
duxerat eam. Dicebat enim iohannes herodi. Non licet tibi
habere uxorem fratris tui. Herodyas autem insidiabatur illi:
& uolebat occidere eum. nec poterat. Herodes enim metuebat
iohannem. sciens eum uirum iustum & sanctum. & custodiebat
eum. & audito eo multa faciebat: & libenter eum audiebat.
Et cum dies oportunus accidisset. herodes natalis sui cenam fecit
principibus & tribunis. & primis galilee. Cumque introisset filia
ipsius herodiadis. & saltasset & placuisset herodi: simul
que discumbentibus. rex ait puelle. Pete a me quod uis: &
dabo tibi. Et iurauit illi: quia quicquid pecieris dabo tibi:
licet dimidium regni mei. Que cum exisset dixit matri sue. Quid
petam? Et illa dixit. Caput iohis baptiste. Cumque introisset
statim cum festinatione ad regem: petiuit dicens. Volo ut
protinus des mihi in disco: caput iohis baptiste. Et contristatus
est rex. propter ius iurandum. & propter simul discumbentes. noluit
eam contristare. sed misso spiculatore. precepit afferri caput in di-
sco. Et decollauit eum in carcere. & attulit caput eius in disco: &
dedit illud puelle. & puella dedit matri sue. Quo audito ue-
nerunt discipuli eius. & tulerunt corpus eius: & posuerunt il-
lud in monumento. In nat. sce Marie uirg. l. Sapie
Dominus possedit me in initio uiarum suarum antequam quicquam fa-
ceret a principio. Ab eterno ordinata sum & ex antiquis:
antequam terra fieret. Necdum erant abyssi. & ego iam concep-
ta eram. Nondum fontes aquarum eruperant nec dum montes g